

1499 nus ad bellum idoneas, hominibus, tormentis, cæterisque rebus ablatis, ulva sicca implendas curavit, pulvere ad comprehendendum ignem idoneo interjecto, quas incensas classi Thraciæ objiceret. Is dies ea in re consumitur. Postero die mane iis cum navibus triremes magnæ sexdecim Antonii jussu ubi se in hostes promoverunt, illi statim classis partem contra eas miserunt: quibus visis, Venetæ triremes se se continent: Turcæ progressi naviculas sex eas, quæ remulco longarum navium procefferant, ab iis relictas qui attraxerant, capiunt. Veneti ea re commoti, in illos se concitant, atque usque ad classem infecuti, aliquot eorum navigia depriment, triremesque tres & biremem unam cum hominibus capiunt. Biduo autem post, cum omnino aggredi classem Thraciam Antonius Gallicque statuisent, atque ad eam tam proxime accessissent, ut tormentorum pilæ in hostes mitterentur, nescio quo fato paululum commorati redierunt: id quod a Gallis damnatum fuit. Demum eo triduo hostibus vela facientibus, ut sinum, qui proximus erat, caperent, Antonius classem explicuit, eosque consecutus cum aggredi suo vento posset, eodem iniquo fato, ut tunc quidem creditum fuit, se continuit: aliquot tamen naves longas hostium audacter progressas, quæ paulo ulterius ex Venetis procefferant naves, facto in eas impetu, ceperunt. Quod si reliquis eadem vis animo fuisset, hostes deleri facile potuissent. omnibus enim illis diebus quibus parte aliqua prælium commissum est, cum plures naves Thracias militibus rebusque omnibus instructas Veneti ceperint, nulla tamen ex eorum navibus cum hominibus est capta. Quin etiam illud accidit: extrema erat navis una oneraria Gallorum eo in reditu, ut sæpe fit, multo reliquis tardior: itemque ex Venetis altera. in eas præfectus classis Thraciæ magnam suarum navium partem convertit, ut plus triremes ac biremes triginta navem Gallicam circumfisterent, Venetam plus viginti: quæ tamen duæ cum acriter diuque oppugnarentur, præter pilas tormentorum, quas hostes ejaculaverant, sagittarum vi tanta